



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

39. Gemesivs Religiosus ad curandam rupturam non tenetur admittere sectionem etiam post mandatum Prælati sui.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

inducat solum conditionalem, donec scilicet caro diuidatur in alienam, & Ecclesia hanc naturam approbet, etiam huius autoritate dici potest, prædictum diuortium fieri, nec requiri aliam specialem iudicis sententiam. *in cap. seculares.* sermo est de sœuitia, quæ, cum ab Ecclesia introducta sit tanquam causa sufficiens diuortio faciendo & latitudinem habeat, iudicis operam requirit ad hoc, ut de eius sufficientia constet. *i. historia* præcipit uxorem restitui, quia de adulterio non sufficienter constabat. *i. porro* loquitur de solutione matrimonij quoad vinculum, & libertatem alteri copulandi. Ad secundum, Gelasiam non dicere sibi ius, sed iure sibi ex natura matrimonij concessio uti. Ad tertium, negamus, diuortium esse propriè pœnam, cum sit cessatio obligationis; quamuis vulgariter videatur pœna, & in hanc etiam assumatur.

XXXIX. *Gemesius Religiosus grauibus ruptura incommodis vexatur breui consiciendus iudicio Medicorum, nisi sectionem admittat, quam præcipit Prælatus, hortantur ad eandem alij: ipse verò mavult mortem, quàm illam sectionem sustinere. Queritur. An bene?*

Videtur malè facere. Nam homo non est dominus vitæ suæ, ut cum S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5. c. docent communiter Theologi. Ergo Gemesius non potest de illa disponere pro nutu, sed debet eam licito modo administrare

strare ac conseruare, adeòque in proposito per tolerantiam sectionis iudicio Medicorum necessaria: multò minùs recusare eam potest, si accedat mandatum Prælati, cuius voluntati iuxta regulam suam se totum tradidit, vt docet Lessius *de justit. c. 9. dubit. 4.* P. Nauarrus *l. 3. c. 3.* & plures alij.

Resp. Gemesium non tenere admittere sectionem, etiamsi Prælati hanc præcipiat, adeòque non malè facere recusando illam. Ita Salonius *22. q. 65. art. 1.* Dedicastillo *de just. Tr. D. 10. n. 554.* Card. de Lugo *de just. D. 10. n. 21.* & alij. Prob. Tum quia actus iste ob acerbicatem doloris est nimis arduus, & (vt loquuntur) nimis heroicus. Tum quia nemo, per se loquendo, tenetur media extraordinaria & difficilia valde ad vitæ conseruationem adhibere, cum iuxta commune adagium *non sit tanto digna dolore salus:* Tum quia res tam acerbæ non minùs ob verecundiam, quàm dolorem, non cadunt sub regulas Ordinis, in quibus Religiosi obedire Prælato præcipienti tenentur, vt bene Lugo & Dedicastillo *lo. cit.* vbi tamen addunt hanc limitationem, nisi Religiosus necessarius esset Reipubl. vel communitati, ac remedium foret omnino securum & certum, quod in casu nostro non est. *Atque ex his patet quoque ad rationes in contrarium allatas,*